

40

P. lat. rec.

1161

SECUNDÆ CLASSIS

In celeberr: ARGEN-

TORAT: ACADE-

MIA

THRENODIÆ,

In præmaturum obitum,

Pietate, diligentia, morumq; probitate

conspicui Adolescentis

studioſi:

JOSEPHI JUNTÆ,

VIRI CLARISSIMI, DOMINI JOSEPHI

JUNTÆ, P. M. ARCHIGRAMMATEI INCLYTÆ

ARG. REIP. QVONDAM CONSULTISSIMI,

FILII,

Anno Christi 1616. die 5. Martij,

ætatis suæ XVI. piè placidèq; ex

hac terrestri Academia

in cœlestem avo-

cati.


ARGENTORATI

Excudebat MARCUS ab HEYDEN,

Anno M. DC XVI.

ERgo valedixti CLASSI, IOSEPHE, SECUNDÆ?
Deliciae cordis care IOSEPHE mei!
Siccine fastidis EXAMINA CLASSICA solus,
Quae toties votis ante petita tuis?
Excubat in foribus PROGRESSIO PUBLICA nostris,
Principibus coram quae peragenda viris.
Non te solertem signantia praemia mentem,
Inclita quae didit curia nostra, movent?
Hos ego, sed mærens, voluebam pectore motus,
Hæc frustra gemitus tristia signa dabam.
Te praematurâ consumptum morte IOSEPHE:
Venit ut ad nostras fama relata fores.
Sed tibi quam longè melior progressio nostrâ:
Contigit: ô animæ portio magna mea!
Næ te præ reliquis examine ritè probavit,
Qui regit aeterna cuncta Lycea manu.
Nec levis hæc CENSURA fuit: nova cornua Phœbe:
Mutavit quartâ, quàm prius acta, vice.
Tota quidem LOGICE, sed PASSIO sepe rogata,
Tandem CORRUMPENS PASSIO finis erat.
Iam tibi venerunt cælestia dona probato,
Quae sunt omnimodis dona parata pijs.
Iam doctrina sagax: jam plena inventio rerum,
Iam tibi iudicium, quae latuère, notat.
Iam tibi momento gradus est delatus in uno
Summus, in aetherea vertice DOCTOR oras;
Cumq; tuo, nuper raptus qui morte praivir,
Patre, beatus habes regna beata poli,
Tergeminumq; DEUM, Majestatemq; verendam:
Aspicias, aeternis perfruerisq; bonis.

Hæc:



Hæc tibi Præceptor deservit encomia: classe

Primus in hac merito IUNTA IOSEPHUS erat.

Et pietatis amans, & morum cultor, & artis,

Quæ decet ingenuos, IUNTA IOSEPHUS erat,

IUNTA IOSEPHUS erat laus summa futurus, & olim

Dulce decus classis, si licuisset, erat.

Vobis, qui colitis Musas in CLASSE SECUNDA,

Qui cupitis patrio laude præesse bono:

Linguitur in IUNTA vera pietatis imago:

Linguitur in IUNTA sedulitatis amor.

Hæc calcanda gradu vestigia pressa tenace,

Hæc quæ materiem laudis & artis habent.

Præcociis interea memores bene vivite mortis,

Hæc etiam succi pectora plena rapit.

Arsidueq; DEUM confisâ mente vocate,

Servet ut hanc nostram sancta cæterva scholam.

*Discipulo suo carissimo, diligen-
tissimo, obedientissimo,*

*M. Casparus Brülovius Pomeranus,
Secundæ Classis Præceptor.*

II.

Heu nihil omnino firmum reperitur in orbe!

Incipiunt primum quæ valuisse, ruunt,

Hoc quoq; testaris crudeli morte petemte,

Aonij cultor sedule JUNTA chori.

Transmigras viridis viridi sub flore juventæ,

Nec capis hic studij commoda magna tui.

Commoda magna capis dum ex classe locaris in arces,

Gaudia semper ubi carpere læta datur.

A 2

Ergo

Ergo tibi meritò sanctum gratamur honorem,
Dum tua cœlestis tempora laurus obit.

*Balthazarus Schönberg à Steinfeldt
Carniolanus, secundæ Classis
p. r. discipulus.*

III.

Versus ut pangam, pietas ususq; requirit,
Pieridum dum pars ô quotacunq; cadis!
Surculus ut fias regni, palmesq; beati,
Et cernas letus gaudia leta DEI.
Nos in tristi arumnarum jam valle relinquis,
Atq; jubente DEO pergis ad astra poli.

*Commilitoni suo suavissimo
Daniel Pulian Argentor.
eiusdem classis discipulus.*

IV.

Heu primò raperis JOSEPHE intempore vitæ,
Nondum grata genas molles vestiverat umbra.
Heu verè in medio decussò flore fefellit,
Quæ magnæ in melsis spem sese crexerat, æstas.
Heu, heu! claudendus jam jam squalentibus umbris;
Ad tumulum efferris commiles amice JOSEPHE.

Carolus Julius Ingolt Argent. ejusdem cl. disc.

V.

AD MORTEM.

Cur rapis è vita vitæ sub flore JOSEPHUM?
Ne patriæ ferret commoda multa suæ.

AD IOSEPHUM MEUM.

Heu rapere è vita vitæ sub flore JOSEPHI?
Cum patriæ posses commodus esse tuæ.

RURSUS AD MEUM.

Ipræ, JUNTA, decus nostræ primasq; cohortis,
Ad te pergemus tempore quisq; suo.

AD NICOLAUM FRATREM DEFUNCTI.

Cur lacrymare? mei moritur pars maxima, frater,
Ne lacryma, vitâ perpetua fruitur.

AD CONDISCIPULOS.

JUNTAM mors aufert nobis, sed reddet JUNTAM.
In JUNTÆ hoc nobis morte levamen erit.

Συμπαθείας E. P.

Iustus Arcuarius Dinglingensis,
Eiusdem classis discipulus.

VI.

CONquerar an fileam? luctus mihi pectora mordet,
Quælibet & fletus reddere verba vetat.
Ast ego si fileam, vitâ privare viderer
JOSEPHUM busto tradere quem volumus.
Nam disciplinas semper tractavit honestas,
Ergo promeritæ præmia laudis habet.

Moris & amoris E. F.

Benedictus Gros Argent.
Eiusdem classis Disci-
pulus.

VII.

Sicut flos campi, nitidi qui tempore veris
 Succrevit: subito sole calente cadit:
 Sic est innumeris obnoxia pulchra juvenus
 Casibus, & mortis tela nefanda vider.
 Hocce tuo exemplo IOSEPHÉ ostendis JUNTA,
 Obvenit in medio dum tibi flore rogas,
 Tu pietate proba, doctrinâ, ut stella micabas,
 Stella poli radias nunc sine fine DEO.

Doloris contestandi et

amoris E. F.

Ioannes Rütlinus Giessensis Hassus,
 Eiusdem classis Discipulus.

VIII.

Vix alter teritur mensis, quod JUNTA Senatus
 Suada, tibi tristes ivimus exequias.
 Heu prosperante tuam nati cognominis urnam
 Urna pede insequitur, mæstitiamq; gravat.
 Indolis eximie obtutu spes læta fovebat,
 Gnatum velle DEAS adsimilare Patri,
 Illicò sed juveni ruperunt stamina vitæ
 Immites Parcæ, proh dolor! ante diem!
 JUNTHA Q; sic JUNIOR tu nos JOSEPHÉ relinquis,
 Sedule commiles non adamate satis.
 At JOVÆ placuit, sic te terrestre Lycæum
 Commutare Scholâ perpetuante poli.

Fridericus Becht Heilbronnensis,
 Ejusdem Cl. disc.

CON-

IX.

CONSOLATIO DEFUNCTI.

Nemo sibi vivit, moritur sibi nemo, parentis
Nostra DEI vita est, mors quoque nostra DEI.
Terrarum vitam seu vivimus orbe cadendo:
Seu morimur, Domini spe meliore sumus.
Mortuus est Christus, superato ac orbe revixit,
Ut vita, ut mortis det moderator opem.

Lugens & Lubens A.

Christophorus Haas Argent. Eiusdem Classis Discipulus.

X.

Nuncie tristis adesne? affers quid? fata dolenda
Nuncio, maturâ morte sodalis obit.
Quis, nobis age dic? Est: heu tremor occupat artus,
Est qui Musarum cultor JUNTA fuit:
O JOSEPH: vale: gemitu deflete sodales:
Hunc, quem ritè gemit turba novena, pium.
Assiduè JUNTA hic studijs vigilavit amœnis.
Quid sequitur? Mors heu! Messio: Tristitia est.

Ioh. Rud. Fischerus Lindaviensis, Eiusdem cl. discip.

XI.

Quid non sèva tibi voluit Libitina licere?
LUNTIADEM nuper sustulit illa patrem.
Nec satis est jugulo falcem intentasse paterno,
In natum quin pars audet iniqua nefas:
Laus erat ille fori pater & decus Argyropæi,
Nec postrema sacra pars erat iste scholæ.
O Libitina: ferox non à te curia tuta est,
Nec schola tuta à te est, ô Libitina ferox!

Paulus Ansforg Argent. Eiusdem Classis Discipulus.

XII.

In sua fata trahit mors omnes lege perenni,
Non parcit Juveni, decrepitoq; seni.
Evitare nequit jura eius dives iniqua,
Non lethi sapiens irrita fata facit.
Sic quoq; te rapuit mors præmatura JOSEPHÆ,
Sed nunc post obitum vita beata manet.

*Fridericus Schöttel Argent.
Eiusdem Classis Discipulus.*

XIII.

Non est, quam faciunt anni, perfecta senectus,
Non est: sed verâ quæ pietate nitet.
Hanc quia jamdudum scio te vidisse: quid ergo
Præproperâ temet morte perire putem?

*Ioannes Georgius Müeg Argent.
Eiusdem Classis Discipulus.*

XIV.

O Mors quid causæ quod quemlibet abripis orbe
Terrarum subitò, cum venit atra dies?
Falce tuâ raptus terris JOSEPHUS JUNTA,
Cur mors sæva probos innocuosq; rapis?
Nobiscum vixit, quantum mihi notus JUNTA,
Ut cum fratre suo vivere frater amat.
Heu quid vita hominum? nihil est quã pulvis & umbra,
Quæ vento properè prætereunte fugit.

*Commiserationis E. F.
Sebastianus Buchholzius Altenstadiensis,
eius tum temporis condiscipulus.*

FINIS.